



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

IV. Quòd in veritate & humiliate coram Deo conversandum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Domine, doce me facere voluntatem tuam, doce me coram te dignè & humiliter conversari, quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognovisti, antequam fieret mundus, & antequam natus essem in mundo.

#### C A P U T IV.

*Quòd in veritate & humilitate coram Deo conversandum est.*

1. **E**li, ambula coram me in veritate, & in simplicitate cordis tui, quære me semper.

Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incursibus malis, & veritas liberabit eum à seductoribus & detractionibus iniquorum.

Si veritas te liberaverit, verè libereris, & non curabis de vanis hominum verbis.

Domine verum est. Sicut dicas, ita, quæso, mecum fiat. Veritas tua

mg



eo  
cap

me doceat, ipsa me custodiat, & usque ad salutarem finem conservet.

Ipsa me liberet ab omni affectione mala, & inordinata dilectione : & ambulabo tecum in magna cordis libertate.

2. Ego te docebo (ait Veritas) quæ recta sunt & placita coram me.

Cogita peccata tua , cum disiplentia magna & mœrore : & nunquam reputes te aliquid esse propter opera bona.

Revera peccator es , & multis passionibus obnoxius & implicatus.

Ex te semper ad nihil tendis ; citò laberis , citò vinceris ; citò turbaris, citò dissolveris.

Non habes quidquam , unde possis gloriari , sed multa unde te debas vilificare: quia multò infirmior es, quam vales comprehendere.

3. Nil ergo magnum tibi videatur ex omnibus, quæ agis.

Nil grande, nil pretiosum & admirabile, nil reputatione appareat dignum ; nil altum, nil verè laudabile,

bile , & desiderabile , nisi quod æternum est.

Placeat tibi super omnia æterna  
Veritas, displiceat tibi semper tua  
maxima vilitas.

Nil sic timeas , sic vituperes & fu-  
gias , sicut vitia & peccata tua , quæ  
magis displicere debent , quæm quæ-  
libet rerum damna .

Quidam non sincerè coram me  
ambulant , sed quadam curiositate  
& arrogantiâ ducti , volunt secreta  
mea scire , & alta Dei intelligere , se  
& suam salutem negligentes .

Hi sëpe in magnas tentationes &  
peccata , propter suam superbiam &  
curiositatem , me eis adversante , la-  
buntur .

4. Time judicia Dei , expavesce  
iram Omnipotentis . Noli autem di-  
scutere opera Altissimi , sed tuas ini-  
quitates perscrutare , in quantis de-  
liquisti , & quæm multa bona negle-  
xisti .

Quidam solùm portant suam de-  
votionem in libris , quidam in ima-  
ginibus ,

eo cap

ginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris.

Quidam habent me in ore , sed modicum est in corde.

Sunt alii, qui intellectu illuminati, & affectu purgati, ad æterna semper anhelant : de terrenis graviter audiunt , necessitatibus naturæ dolenter inserviunt : & hi sentiunt , quid spiritus veritatis loquitur in eis.

Quia docet eos terrena despicere, & amare cælestia ; mundum negligere, & cælum totâ die ac nocte desiderare.

## C A P U T V.

*De mirabili effectu divini amoris.*

I. **B**enedico te, Pater cælestis , Pa-  
ter Domini mei J E S U Chri-  
sti , quia mei pauperis dignatus es  
recordari.

O Pater misericordiarum, & Deus  
totius consolationis, gratias tibi, qui  
me indignum omni consolatione,  
quandoque tuâ recreas consolatio-  
ne.

H 3

Bene-